



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio Vltima. Vbi agitur de dispositionibus & proprietatibus Qualitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

QVÆSTIO VLTIMA.

Vbi agitur de dispositionibus, & de proprietatibus Qualitatis.

PRIMA conclusio: Dispositio tribus modis præter alios accipi solet, ut notant Conimbricenses, vno latissime pro quacunque forma subiectum afficiente, quo sensu vulgo dicitur res esse hoc, aut illo modo disposita id est, affecta. Secundo nimis preste pro forma præparante subiectum ad ulteriorem perfectionem, cuius acceptionis usus frequentissimus est in physica, cum agitur de præparatione materię primæ ad formam substantialem; tertio usurpatur medio quodam modo pro solis qualitatibus primæ speciei, vbi etiam bifariam sumitur, aliquando enim significat illam rationem communem sub qua est habitus & dispositio ut ex Aristotele Albertus, & alij veteres tradiderunt; aliquando vero pro membro dividente illam rationem communem distincto ab habitu, quod sic describitur. Dispositio est qualitas bene vel male afficiens subiectum, quæ facile abijci potest. Tribuitur speciatim huic speciei bene, vel male afficere subiectum, non solum, quia omnis virtus ac vitium in quibus est bonum, ac malum morale in ea continetur, quamvis inde fortasse derivata sit hæc appellatio, ut colligitur ex Arist. 5. metaphysica, cap. 14. sed etiam quia per hanc speciem disponitur substantia circa operationes ad quas quoniam ultimo qualibet res à natura destinatur merito iuxta modum, quo se ad illas habet absolute, & quasi per antonomasiam recte, aut prave disposita nuncupatur.

2. Secunda conclusio: tres enumerantur ab Aristotele proprietates qualitatis, prima est ut qualitas habeat contrarium, secunda ut possit suscipere magis aut minus, seu ut possit intendi, & remitti: tertia ut secundum ea res dicantur similes, & dissimiles: prima, & secunda proprietates non conveniunt omnibus qualitatibus: de tertia postea dicitur; sed difficultas est, quænam qualitates suscipiant magis, & minus, & unde habeant hanc proprietatem circa quod sit.

3. Tertia conclusio: qualitates secundæ speciei non suscipiunt magis, & minus v. g. potentia, & probatur primo, quia istæ qualitates sunt per naturalem dimanationem, & resultantiam à substantijs ex quibus fluunt; ergo sicut illæ non suscipiunt magis, & minus, ita nec istæ, quia illis debent proportionari, secundo ex fine, quia qualitates secundæ speciei dantur ad simpliciter posse operari: sed hoc non potest suscipere magis, & minus, quia hoc quod est posse simpliciter consistit in indivisibili, cui immediate opponuntur nullo modo posse, & nihil posse: sed inter ea quæ immediate opponuntur non datur medium, hoc est, magis, & minus posse: ergo.

4. Dices contra primam rationem frigus sit per emanationem ab aqua, & calor ab igne, & tamen frigus, & calor suscipiunt magis, & minus: ergo naturalis resultantia non est in causa, cur qualitas per illam producta non suscipiat magis, & minus.

5. Respondeo naturalem emanationem in illis qualitatibus, quæ solum per illam naturaliter

sunt esse causam in universon loquendo ut qualitas non suscipiat magis, & minus; & ratio est, quia manifeste colligitur eam qualitatem quæ tam strictam connexionem habet cum substantia, ut non possit nisi dimanare ab ipsa talem proprietatem habere, quæ maxime suscipit magis, nec minus, ita & hæc calor autem, frigus, lux, & alia huiusmodi, quia non est illis adeo connaturale produci per dimanationem ab igne, aqua, sole, &c. ut etiam naturaliter loquendo non producantur per alias actiones in exteris subiectis, ideo suscipiunt &c.

Quarta conclusio: qualitates omnes quæ habent contrarium, & etiam illæ quæ pertinent ad primam, & tertiam speciem possunt suscipere magis, & minus; probatur primo, quia qualitas habens contrarium potest comparari cum aliquo gradu illius subiecti, ut calor ut quatuor cum frigore ut uno, & ratione illius constituit subiectum minus calidum, secundo fere omnes qualitates tertiæ speciei producantur per veras actiones distinctas ab emanationibus: ergo si emanatio est causa in universon, quare aliqua qualitas non suscipiat magis ac minus, à contrario sensu, quæ non emanat suscipiet. Tandem qualitates primæ speciei producantur à natura, ut conferant facilitatem potentij: ergo ex ipso earum fine colligitur illas debere necessario suscipere magis, ac minus, patet consequentia, quia esse facilem potentiam ad aliquem actum, non consistit in indivisibili, sed per actum multipliciter reddit potest in dies facilius, ut experientia constat.

Quæres an omnis qualitas suscipiens magis, & minus solum intendi, & remitti possit in subiecto si divinitus extra illud conservetur; affirmant plures cum P. Rubio lib. 1. de generatione, quest. 5. & 6. circa quod sit.

Quinta conclusio: qualitas intensibilis tam in subiecto, quam extra illud intendi potest, ita ut non solum intensio fiat, in ordine ad subiectum, sed etiam in ordine ad ipsam qualitatem: adhuc separatam ab ipso, quia intelligere nequeo intensificationis qualitativæ augmentum fieri per gradus similes, sed necessario affirmandum existimo inter illos constituendum dissimilitudinem, & essentialem subordinationem, etsi non tam stricta intercedat saltem ex natura rei, de quo latius lib. de generatione.

Ultima proprietas est similitudo, vel dissimilitudo, de quibus late disp. de relatione.

Ultima conclusio: prædicamentum qualitatis ita disponitur, ut genus supremum sit qualitas ut sita, quæ dividitur in operativam, & non operativam; operativa patitur in potentiam, & habitum; non operativa dividitur in eam, quæ perficit substantiam, & quantitatem in suo esse terminando extensionem illarum (& hæc est figura, quæ si non est res, sed modus non proprie ut species, sed reductive pertinet ad qualitatem) & in eam quæ perficit eandem substantiam solum in suo esse, & non in terminis. Deinde potentia patitur in potentiam pure activam, & in potentiam simul activam, & passivam, de habitibus iam supra diximus; qui dividitur in varias species usque ad individua, & proportionali modo intelligendum est, de alijs speciebus quæ omnes terminari debent in aliquo determinato individuo, quod contineat rationem essentialem suæ speciei.

DISPT